



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

18. Si quis obtinuit beneficium Symoniace quæritur, an ipso iure privetur beneficiis antea, vel postea obtentis? Et docetur, quod ob Symoniam realem in beneficio Ecclesiastico incurritur primo ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

ad sponſionem pellexit, etiamſi de victoria fuerit certus, non tenet cum ad reſtitutionem. Sed oppoſitum puto verius: niſi alteri prius declaraverit, ſe certo cognoscere, & perſiſtere nihilominus alter & voluerit certare, tunc enim locum habebit, quod ſcienti & volenti non fit injuria. Et ita ex multis docet Ioannes Vvigers, de *juſt. traſt. 5. cap. 4. dub. 1. num. 3.* qui etiam optime obſervat *dub. 5. num. 13.* quod qui ludit ludo prohibito, ſi habeat animum non ſolvendi, vel ſolum repetendi, non poteſt lucrari ſic, ut lucrum juſte detineat. Ratio eſt, quia colluſorem decipit, dum ſe gerit tanquam paratus eſſet pari ſorte concurrere cum altero, ut ſolvat, ſi vincatur, & lucrum recipiat, ſi vincat: cum tamen intendat ſolum ab altero lucrum captare, & ſi perdat nihil ipſi concedere; quod facit contractum inaequalem & iniquum. Qui tamen ſincere luſit, non habens animum non ſolvendi, aut recuperandi in iudicio, poterit ludo peracto mutare animum & non ſolvere. Ita quoque Bonacina de *Reſt. in particul. diſp. 2. q. 3. punct. 3. num. 9.* quia juſ commune utrique hoc concedit, & in eo pares ſunt.

4. Nota, hæc procedere in ludo victo, quia qui ludo licito ludit, etſi cogitet non ſolvere, poterit tamen lucrari; quia quamvis ſolvere non intendat, poterit tamen ad ſolvendum compelli, atque ita victor cenſetur hic parus eſſe conditionis ad lucrum faciendum, non obſtante contraria voluntate colludentis.

5. Et tandem nota, quod cogentes ad ludendum debent reſtituere quod lucrantur; ſecus autem qui ab ipſo lucrantur. At Pontius ubi ſup. diſput. 58. quaſt. 3. concludit. 6. num. 13. contrarium videtur docere contra Cardinalem Lugum, & alios; quia ex injuria facta uni, debet conſtitui indemnitas; alter vero non item, cum ipſi non ſit facta injuria. Ego convenio cum primis, quia ex injuria per metum facta non ſequitur aliud, quam quod debeat ſervari indemnitas: ergo non debet ex illa reportare lucrum; reportaret autem ſi deberet lucrari, & non poſſet perdere. Quam reſolutionem teneo ex natura rei; ſed valde opportunè provideretur per leges poſitivas, ut qui hoc modo induceret ad ludendum, in poenam illius injuſtitiae perderet quod alter lucraretur. Ita Pontius. Sed ego puto non eſſe diſcedendum à ſententia Cardinalis Lugo, quæ eſt communis.

RESOL. XVII.

An ſimonia ad alia beneficia obtinenda inhabilem reddat ſimoniacum?

Et an Episcopus poſſit virtute Concilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 6. diſpenſare in inhabilitate ſimoniae ad alia beneficia? Ex p. 1. tr. 5. & Miſc. 5. Ref. 18.

§. 1. **R**eſpondeo probabilius eſſe juxta Conſtitutionem Pij V. te ipſo jure inhabilem reddi, inquit enim Pontifex. Illis ſcilicet beneficiis per ſimoniam acquiſitis ſit ipſo jure privatus, & perpetuò ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia Eccleſiaſtica beneficia obtinenda; & ita tradit Suarez *lib. 4. cap. 58. num. 11.* Verùm Navarr. *conf. 82. de ſimon.* exiſtimat, inhabilitatem ad beneficia obtinenda ipſo jure non incurri; quia in hac parte illa conſtitutio non eſt recepta; & conſentit Suarez, ſupra, & Leſſius *cap. 35. dub. 26.* cum etiam reſpectu ſimoniae confidentialis requiratur ſententia declaratoria criminis ad inhabilitatem contrahendam reſpectu aliorum beneficiorum. Vide etiam Palaum *tom. 3. tr. 17. diſp. 3. punct. 25. num. 7.*

2. Sed hic non deſeram apponere id quod docet Baunius in *praſt. benefic. diſputat. 16. quaſt. 62. dub. 18.* ubi ſic ait; Rehabilitare ſimoniacum ad beneficia, ad quæ eſt per ſimoniam inhabilis jure ſuo quis poſſit?

3. Non alius quam Pontifex, optuione Theſauri, & Bonacinae de *ſimon.* quaſt. 7. punct. 2. eſt tamen meo ſenſu, eorum non improbabile iudicium, qui aſſerunt Episcopum virtute Trident. Concilij ſeſſ. 24. c. 6. diſpenſare poſſe in inhabilitate occultæ ſimoniae ad alia beneficia. Ita Baunius: cui adde Sanchez in *opuſc. tr. 1. lib. 2. dub. 120. num. 40.* & Henriquez *lib. 13. de excommunic. cap. 37. littera F, & 56. num. 1. lit. E.* Sed opinio Theſauri, & Bonacinae in hac Curia videtur recepta.

4. Sed poſt hæc ſcripta, inveni doctiſſimum, & amiciffimum Patrem Vincentium Tancredi de *Religione traſt. 2. l. 4. diſp. 44. quaſt. 2. numero 10.* putare, ſententiam Baunij quam ſupra adduximus, eſſe tutam & probabilem; itaque ſic aſſerit. Dico tertio; inhabilitas ad alia beneficia, quæ contrahitur ipſo jure in ſimonia confidentiali (nam in aliis diximus non contrahi, niſi poſt ſententiam ex Navarrio) non poteſt niſi à Papa tolli, & verius eſt, nec per aliquem in caſu occulto, quia non eſt irregularitas, ſed quædam poena; eſt communis ſententia teſte Caſtro Palao *punct. ult. num. 3.* & extant pro ea Cardinalium Declarationes. Ita Suar. *cap. 61. n. 11. & ſeq. Filiuc. cap. 13. num. 38.* ubi ait, ita eſſe ex uſu ſacrae Penitentiariae.

5. Sed contrarium putat tutum, & probabile Caſtro Palao *loc. cit.* cum Leſſio, & Henriquez apud ipſum, & Sanch. *ſup. num. 40.* Et verè probabilis eſt ſententia, quia hæc inhabilitas eſt quædam irregularitas, nec declarationes, & Rotæ deciſiones cogunt, ut bene cum Vaſquez *1. 2. & d. 177. c. vet. num. 75.* docet idem Caſtro Palao, & ego alias fuſè. Hucusque Tancredus.

6. Sed ego non recederem à contraria ſententia, ſtante declaratione Cardinalium, & praxi penitentiariae.

RESOL. XVIII.

Si quis obtrinit beneficium ſimoniacè, queritur, an ipſo jure privetur beneficii antea, vel poſtea obtentis?

Et docetur, quod ob ſimoniam realem in beneficio Eccleſiaſtico, incurritur primo excommunicatio Paſalis.

Secundo, quod irrita eſt electio, præſentatio, confirmatio, & inſtitutio; unde talis non facit fructus ſuos; idque etiam ſi à tertia perſona taliter proviſus id ignoravit, niſi tamen contraxerit; vel ſi à tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut fieret inhabilis; vel niſi bona fide poſſideret beneficium per triennium.

Et an quando crimen ſimoniae in beneficio eſt occultum, ſolique ſuo authori nocum ſuſpenſionem ei inferat? Ex p. 1. tr. 5. & Miſc. 5. Ref. 7.

§. 1. **R**eſpondeo negativè, quia nullibi eſt expreſſa ſup. hoc inf. talis poena, ſcilicet privatio ipſo jure beneficiorum ritè obtentorum cum eo rigore: nam licet in *cap. inſtitutionis de accuſat.* dicatur, obtinentem beneficium ſimoniacè eſſe impeditum à retentione beneficii, etiam poſt peractam poenitentiam, intelligendum eſt à retentione ejuſdem beneficii, vel intelligi debet à retentione cujuſcumque beneficii ſecuta ſententia

D d 4 condem

condemnatoria; siquidem ibi æquiparatur simoniacus homicida, qui beneficiis non privatur ipso iure ante sententiam, sed venit privandus, ut colligitur ex cap. Clericus, ne clerici, vel Monachi, ibi, honore privetur, & Heimanus Busenbaum in Medull. Theol. moral. l. 3. tract. 1. cap. 2. dub. 3. art. 2. ad 3. sic ait: Ob simoniam realem in beneficio Ecclesiastico, incurritur primò excommunicatio Papalis. Secundò, irrita est electio, præsentatio, confirmatio, & institutio. Vnde talis non facit fructus suos, idque etiam, licet à tertia persona taliter provisorius id ignoraverit: nisi tamen contradixerit, vel nisi à tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut redderetur inhabilis, vel nisi bona fide possederit beneficium per triennium, Lessius lib. 2. cap. 35. d. 31. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. ultimo. Bonacin. dist. 1. q. 7. part. 1. num. 20. ex Gomez, Garzia, &c. Tertiò, efficitur inhabilis ad idem beneficium, etiam per dispensationem Episcopi obtinendam: alius tamen beneficiis ipso iure non privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis ante sententiam iudicis. Ita ille, cui adde Baunium ubi infra. Sed quid dicendum utrumne simoniæ crimen in beneficio contractum, quando est occultum, solumque suo Auctori notum, suspensionem ei inferat.

2. Inferre multis Auctorum testimoniis probare conatus est Comitopol. in responsionibus. Verum nobis esse debet eorum opinio potior, qui inferre verbis non obsecris negant, ejus asserendæ tuendæque Princeps Novatus extitit in Manual. c. 23. num. 111. dist. 3. & in 5. l. consiliorum conf. 31. de simon. cujus in sententiam pedibus concessere, Sanch. tom. 1. conf. lib. 2. dub. 194. num. 9. Henric. lib. 4. de irregul. cap. 6. num. 7. Tanner. in 2. 2. D. Thom. disp. 5. qu. 8. dub. 4. num. 99.

3. Causa est, quod in pœnis ea eligenda sit opinio, quæ est mitior, maxime cum de voluntate imponentis certò non constat. At est pœna non levis beneficiarium à sui administratione beneficii impediri, ac rejici, nec ullus est canon quo probari queat, simoniacum ab ejus esse usu, regendique potestate suspensum: quæ causa Covarruviz extitit in Clem. si furiosus p. 1. num. 7. asserendi, quæ de suspensione incurrenda à beneficiario ob simoniam in beneficio commissam affirmantur, dubia esse suspensæque, non certa, cum sit ergo humanius, suæ rei usum possessori relinquere liberum, quam eidem illum adimere, dici debet, simoniacum in beneficio, maxime occultum, ab ejus administratione suspensum non esse.

4. Objicies, haberi in Pij V. Constitutione edita anno 1566. quæ incipit, Cum primum, quod qui per simoniam beneficium est adeptus, ipso iure sit eo privatus. Sed dici debet inde non concludi esse irregularem, cum multi suis sacerdotiis sæpè excidant, sine obligatione incurrendæ talis pœnæ. Deinde etiam si simoniacus non possit retinere beneficium in quo est admissa simonia, non tamen tenetur alia ante illam commissam habita dimittere, nisi post sententiam condemnatoriam: Ita Thesaur. 2. part. prax. Eccles. verb. simon. 2. Navar. lib. 5. conf. de simon. 54. vel ut habent libri alij 92. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 26. Emman. Sà verb. simonia 9. qui omnes aiunt, quoad hanc pœnam, Bullam Pij V. receptam non esse, vel si est, de simoniaco dumtaxat convicto loqui, qui est hoc ipso infamis, & consequenter irregulatus, & beneficiorum incapax, non verò occultus. Et hæc omnia docet Baunius in prax. benef. disp. 6. q. 62. dub. 3.

RESOL. XIX.

An mutare aliquid cum pacto, ut ille, qui recipit mu-

tuum, conferat officium, vel Ecclesiasticum beneficium non solum sit usura, sed simonia? Et an utraque deformitas usura scilicet, & simonia in confessione explicanda sit? Et quid est dicendum, quando aliquis, v. g. confert statim, quantum in se est, beneficium, de quo interpellatur mutatur, sed solemnitate aliqua hoc ipsum postea debet perficere? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 61.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Aragonius in 2. 2. q. 78. tract. 1. art. 2. dub. 2. Medina in sum. lib. 1. c. 14. §. 23. Lopez in instruct. p. 2. cap. 56. §. adde Medina Com. plutenis q. 4. de usuris, §. inde sequitur. Regin. tom. 2. lib. 25. c. 1. n. 202. Et ratio est: quia illa obligatio tollit libertatem præsentandi collatori, ac proinde est pretio æstimabilis. Ergo habere tale officium, vel beneficium, est usura: & non solum usura, sed simonia, unde ait Regin. tom. 2. lib. 25. cap. 1. n. 190. & Regin. de usuris part. 2. lib. 8. quest. 4. num. 13. quod utraque deformitas, usura, scilicet, & simonia, in Confessione necessariò explicanda erit: nam, quatenus in pretium mutui intendit rem spirituales, quæ de jure pro temporali dari nequit, simoniam committit: usuram verò, ut dictum est quatenus ex mutuo intendit rem, quæ, etsi de jure comparari nequeat; pretio tamen æstimabilis est.

2. Sed, licet hæc omnia vera sint, advertit tamen Petrus à Navarra de rest. lib. 3. cap. 2. part. 3. dub. 6. quod deducere in pactum collationem, vel præsentationem beneficii statim faciendam, non esset usura: quia, ut dictum est supra, obligatio ad statim, cum modico tempore daret, non est pretio æstimabilis: ergo mutare cum pacto, ut statim mutuatarius conferat beneficium, non est usura. Idem observavit Maldenus in 2. 2. tract. 5. cap. 3. dub. 6. ubi ait, quod si mutuum daret, non ut pretium beneficii Ecclesiastici, sed ut hæc ratione provocet amicitiam collatoris, aut ut gratiam præstet, quam non vult præstare, nisi alter statim gratificetur conferendo beneficium, probabile est, nec usuram, nec simoniam fore. Et tandem Less. lib. 2. c. 20. dub. 9. n. 64. asserit: Si mutuas alteri cum pacto, ut conferat beneficium Ecclesiasticum; partim est usura, partim simonia: modò illud pactum sit iustitiz, secus si amicitiz. Ex his possunt Confessarii in foro conscientiz animadvertere, quando mutans cum pacto, ut recipiat beneficium, committat usuram necne.

3. Dices, quid sit dicendum, quando aliquis, v. g. confert statim, quantum in se est, beneficium, de quo interpellavit mutuator; sed solemnitate aliqua hoc ipsum postea debet perficere? Respondeo cum Maldeno ubi supra, quod si post inchoatam collationem beneficii à mutuatario, ejus, quod superest, obligatio non habeatur pro civili, sed antidotali, & ex gratitudine; probabilissimum est non esse usuram. Vide Navar. lib. 3. c. 2. n. 272.

RESOL. XX.

An sit simonia, si Titius promittat Caio se datum elemosynam pauperi, vel loco pio, si Caius impetret Titio beneficium Ecclesiasticum, vel habitum Religiosis Militaris? Ex part. 5. tract. 14. & Milc. 2. Resol. 75.

§. 1. **N**egativè respondet Turrianus in selectis disp. 16. part. 2. disp. 16. dub. 3. quia qui offert impetratorem beneficii, nihil accipit temporale pro beneficio, aut intercessione; sed Titius movet illum ad bene operandum per obligationem pecunie ad actum honestum; sicut quando pater, v. g. offert pecuniam, vel